


**Dissertatio De Praecibus Boni Ecclesiae Ministri Qualitatibus, In 2. Corinth. IV, 2.
Qva Viro ... Domino M. Johanni Christophoro Loesero, Pastoratvm
Osterviciensem Et Pillniciensem, A. R. S. M DCC XXXV. Ingrediendi, Pie
Gratviantvr**

Dresdae: Harpeter, 1735

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842229205>


Druck Freier  Zugang








33

Fa-1092 (33.1)









DISSERTATIO
DE
PRÆCIPVIS BONI ECCLESIAE
MINISTRI QUALITATIBVS,

IN 2. CORINTH. IV, 2.

QVA

VIRO PLVRIMVM REVERENDO, CLARIS-
SIMO DOCTISSIMOQVE

DOMINO

M. JOHANNI CHRISTO-
PHORO LOESERO,

PASTORATVM OSTERVICIENSEM
ET PILLNICIENSEM, *No. 1748 ist m*

A. R. S. CIO MDCCXXXV. INGREDIENTI *paritendens*

PIE GRATVLANTVR *Fryan' wondr*

MEMBRA COLLEGII EXERCITIIS DISPVTATO-
RIIS ET EXEGETICIS ADDICTI.

DRESDÆ,

EXCVDEBAT JOH. GVILIELMVS HARPETERVS.



§. I.

SI unquam, certe sub ingressum in Ministerium sacrum maxime necesse est futuro jamque munus suum capeffenti Ecclesiæ Ministro, ut serio ac diligenter officii sui partes scrutetur, atque altius animo imprimat, neque minus inter meditationes eodem spectantes messem Domini semper continuare sibi proponat. Haud itaque alienum duximus Te, VIR PLVRIMVM REVERENDE, ex societate nostra ad munus sacrum evocatum, ejusmodi scripto comitari, quod illius rei curam non quidem primum in Te excitare, id quod Dei Spiritus nostra omnium spe jamjam fecit, sed eandem saltem promovere atque in animo Tuo sustentare ac conservare valeat. Quanquam ne hoc quidem nobis arrogamus, quin potius ad communem nostrum omnium, publicumque solem & æternum oblectamentum recurrimus, Dei scilicet verbum, inde aliquod effatum petituri, quod totum Tibi officium Tuum brevi conspectu listat, nosque ad scopum feliciter pertingere faciat. Pulcherrime quidam ex nostratibus ejusmodi præparationem exemplo Christi nos docere voluerunt, de quo asserunt, quod proxime ante Ministerium in solitudine sine dubio meditandum sibi sumserit, quæ ad Ministerium constituendum pertineant, cum certum sit, Salvatore tempus illarum quatuor hebdomadam minime otio, sed puris meditationibus dedisse. Indeque deducunt Ministrum Ecclesiæ circa ingressum præcipue de officio suo recte instituendo meditari debere, quo pacto nimirum omnia in solius Dei Triunius gloriam exequi possit, ut omnes suas doctrinas ad ædificationem & salutem æternam auditorum referat, ut exemplum vivum sit fidelibus in sermone, in conversatione, in charitate, in spiritu, in fide, in puritate, in gestu & ornatu &c. & quomodo etiam mentem contra diabolum, mundum & carnem irritare, armare atque in arenam deducere velit. Cf. D. Fridemanni Bechmanni Diss. de Ingressu in S. S.

Ministerium ex Jobannis & Christi in id ingressu delineato. Egregie quidem talia exempla movent & suscitant, sed juxta ea simul quoque ejusmodi dicta sacra salutariter huc revocari possunt, quæ inchoanti E. M. viam commonstrant, quales porissimum meditationes ad præparationem illius optime faciant. Maximus itaque ornatus totius scripti nostri erit dictura aliquod Paulinum, quod a Dei Spiritu haustum Tibi, V. Pl. R. omnes acclabamimus, precabimurque simul, ut omnia, quæ ibi dicuntur, non solum Tuæ menti infigantur, infixaque semper hæreant, sed ut nos quoque omnes æque confidenti hilarique conscientia auctoritatem muneris aliquando nostri defendere queamus, qua Paulus in hoc effato gavissus est.

§. II.

En Tibi ipsum dictum, quod ex Apostolorum ore omnibus munus sacrum ingredientibus sancte acclamatur. Receptus jam es, V. Pl. R. in cætum eorum, qui nunc in ecclesia Dei mysteriorum divinorum sunt œconomi, & inter eos, qui *הַיְהוָה יְרֵאָה* Dei arcam quasi portant. At eos omnes pariter, quotquot illorum genuini sunt, hac voce Te in gremium atque consortium suum adsciscere, Teque ut similis atque idem prorsus reddaris, suaviter monere putes:

Ἀπειπάμεθα τὰ κρυπιά τῆς ἀρχῆς, μὴ περιπατοῦντες ἐν πονουργίᾳ, μηδὲ δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας συνιστῶντες ἑαυτοὺς πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων, ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.

Quæ verba 2. Cor. 4, 2. occurrence sic Latine vertimus:

Recusamus occultam turpitudinem, non ambulantes in vasritie, neque dolo tractantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nos ipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo.

Lutherus sic Germanice expressit:

Wir meiden auch heimliche Schande, und gehen nicht mit Schalkheit um, fälschen auch nicht Gottes Wort, sondern mit Offenbahrung der Wahrheit, und beweisen uns wohl gegen aller Menschen Gewissen vor Gott.

§. III.

Non hic quidem totus ambitus omnium eorum, quæ Doctori Ecclesiastico observanda sunt, invenitur, neque speciatim omnes prudentiæ eccle-

ecclesiasticæ regulæ hoc loco præferuntur; hoc tamen certo affirmare ausim, basin veluti quendam ac fundamentum omnium reliquorum requisitorum M. E. hic constitui. *Scopo* quidem *primario* est præfens locus *apologia* Apostolica contra criminationes Pseudapostolorum ex conscientia recte factorum, inprimis sanæ doctrinæ propositæ, & inculpabilis vitæ antea productæ, eum quidem in finem, ut auctoritas veræ doctrinæ, verorumque Apostolorum appareat, falsique Apostoli in turpitudinem dentur cum omnibus technis suis & ad seductionem propriumque lucrum spectantibus machinationibus & fraudibus. Si conferatur locus 2. Cor. 12, 19. videtur ibi Paulus apologiam a se remove-re, quasi minime se dignam, ubi dicit: *πάλιν δοκείτε, ὅτι ὑμῖν ἀπολογούμεθα.* Num rursus putatis, quod excusemus nos apud vos. Sed verba illa hunc sensum fundunt: Nolite hanc meam defensionem ita accipere, quasi nobis male consciî simus, ideoque nos excusemus, priusquam a vobis ac-cusemur, aut quasi vitia ab adversariis nobis imputata excusare aut pal-liare velimus. Non profecto hæc a mala conscientia proficiscuntur, sed ad cavendas & diluendas calumnias in medium producuntur. *Cf. de eo L. Osiantrum in Bibliis explicatione ab eo illustratis d. l.* Provocan-dum itaque potius est ad 2. Cor. 1, 12. ex quo patet, quod in hac po-steriore Epistola *μαρτύριον τῆς συνειδήσεως* de se & reliquis Christi Aposto-lis producere voluerit, quod nimirum candide & in vera animi sinceritate, & in gratia Dei conversati fuerint, præcipue inter Corinthios. Et ejusmodi quidem Apologiæ semper cedunt gloriæ Ministris E. tum apud Deum, tum inter homines, ipsisque maximo sunt solatio.

§. IV.

Scopo dein *secundario* notæ characteristicæ & præcipue qualitates genuini E. M. monstrantur, ut adeo Paulus suo suorumque *συνεργῶν* exem-ple nobis ideam boni Pastoris exhibeat. Corinthios enim docere vult, quo pacto in posterum quoque, si ambitione & elevatione Pseudapostolorum tentarentur, typum aliquem & ideam habere possint, ad quam se & omnes veros Apostolos componant, sicque norint, quid de quolibet statuendum sit. *V. Heideggerus in Enchiridio. Lib. III. Cap. 10.*

Quod si consideraverimus, optime inde formari poterit Instructio aliqua generalior pro eo, qui munus sacrum recte administrare cupit. Alias Epistolæ Pauli ad Timotheum & Titum tanquam Pastorales maxime commendantur, quæ autem Paulus ibi præceptive proposuit, eorum plurima in hac posteriore ad Corinthios vivido exemplo ipsaque praxi sistuntur, ut adeo, qui eandem diligenter scrutetur, exinde longe præstantissima ad prudentiam ecclesiasticam spectantia præcepta facile haurire possit. Quin & omnes Pauli Epistolas huc potissimum spectare, & eo sine sedulo legendas esse *A. H. Franke in Monitis Pastoralibus §. 23.* pie docet. Ibi simul beatus Vir ostendit sedula meditatione & amica collatione cum aliis, quantum licet, investigandum esse Pastori, qualem se Paulus gesserit, & gesturus fuisset in similibus casibus, quales ipsum nunc circumstant. Quam quidem utilitatem ex scriptis Paulinis hauriendam insigniter promovere poterit, si quis utatur Opere illo excellentissimo nempe *Fr. Balduini Commentario in omnes Pauli Epistolas*, cujus quantum sit pretium, luculentissime apparet ex *Indice & Repertorio* ejus, quod *Johannes Olearius*, insigni Theologorum commodo, adornavit. *Vid. C. Arndius in Continuatione Bibliotheca Mayeriana §. 39.* ubi ex judicio Fct. Theologicæ Witteb. hæc Balduini μελετήματα æterna memoria dignissima, & præcipue S. S. Theologiæ studiosis commendanda dicuntur. Quod autem nos potissimum ex 2. Cor. 4, 2. dictum aliquod ad institutum nostrum depromimus, hac re permoti sumus, quod in illo optima occasio suppeditatur ea ex Theologia Pastoralis tractandi, quæ cuilibet Pastori gregis Christi tam sunt necessaria, ut nulla ratione iisdem carere possit.

§. V.

Illud autem nos inde lucrari facile apparebit, si sic argumentabimur: *Quæcumque Apostolus Paulus pro adstruenda irreprehensibilitate gesti muneris sacri adducit, ea necessario sunt criteria veri ac genuini Ecclesie Doctoris, seu præcipue M. E. qualitates. Atqui omnia, quæ in dicto nostro occurrunt, Paulus eum in finem adducit: &c. Ergo præcipuas boni E. M. qualitates & virtutes inde addiscere possumus. Major per se patet.*

patet. Nam si Paulus alia de se prædicasset, quam virtutes illas, quæ bonum E. M. constituunt, quomodo inde irreprehensibilitatem suam asserere & vindicare potuisset. e. g. Si hoc loco eruditionem suam ostentare & ad eam provocare voluisset, parum contra adversarios profecisset, quippe qui sine dubio multa profana mundi sapientia quoque excellant. *Minor*, sc. quod Paulus ea, quæ in dicto nostro occurrunt, pro adstruenda irreprehensibilitate gesti muneris sacri adducat, partim ex supra dictis jam patet, partim etiam nunc ulterius probari poterit. α) *ex scopo totius Epistolæ* hujus, qui ex tota serie illius cognoscitur & duplex est. Vult enim partim piorum inter Corinthios infirmitati consulere, qui, Pseudapostolorum imposturas quotidie experientes, in maximo periculo versabantur, ne tandem a sana doctrina verorum Christi Apostolorum desisterent; partim etiam Pseudapostolorum vanitatem retundit, eorumque mendacia & spurium apostolatam detegit. Quo igitur noster locus respiciet, quam eo, ut Paulus innocentiam suam declaret, gesti muneris integritatem. β) patet *ex contextu*. In antecedentibus locutus fuerat de muneris sacri gravitate & fructu ejus a se, *Sylvano atque Timotheo* in Corinthios profecto 1. Cor. 1, 19. & in versu proxime dictum nostrum antecedente expresse nominat *διεκοσίων* ministerium, cujus adjuncta in subsequens sibi tribuit. In consequentibus nim. v. 3. & 4. loquitur de iis, qui Satanae impulsu Dei gratiam repulerant, neque illuminationem per ministerium verbi prædicati admiserant, cujus rei culpam ad ipsos illos homines refert, & a se atque munere suo removet. Ex quibus denuo patet, Paulum in dicto nostro de irreprehensibilitate muneris sui agere velle. γ) colligendum hoc etiam est *ex statu Ecclesie Corinthiæ*, qualis tum fuit, quum ad illam Paulus hanc Epistolam scriberet, qui nunc speciatim est pervestigandus.

S. VI.

Statum illius qui cognoscere volet, plurima ex ipsa hac Pauli Epistola, pauca tamen etiam ex scriptoribus ecclesiasticis, qui nobis ex primis sæculis superstites manserunt, expectare poterit. Quantum quidem ex 2. Cor. 7. v. 6. 7. constat, *Titus* ex Creta Corinthum profectus

con-

contemplatus fuerat, quæ rerum facies in ecclesia Corinthiaca esset. Is deinde ad Paulum in Macedoniam veniens exposuit ea, quæ viderat atque audiverat. *Cf. ea, quæ Heideggerus in Enchiridio l. c. affert. Neque prorsus spernenda sunt, quæ Spangenbergius in Chronico Corinthiaco c. 45. edocere voluit.* Præcipue Titus duplicem statum, alterum lætum, alterum tristem enarrare potuit. Lætus patet ex c. 7. v. 7. ibi Paulus ostendit, se audivisse, quantum esset in Corinthiis, quos ipse converterat, & qui priore ipsius Epistola salutariter emendati fuerant, Pauli desiderium, quantus fletus, quantus zelus & studium Pauli. Hæc indicant, permultos ibi fuisse, in quibus non tantum vera pietas & obsequium, studiumque in bono proficiendi fuerit animadversum; sed qui simul anxii fuerint ob famam Apostolorum a falsis fratribus denigratam, quique contra adversarios Apostoli existimationem mascule defendere sibi gloriæ duxerint. Et hæc quidem bona erat facies ecclesiæ. Erat autem dolendum, quod non omnes talem haberent mentem & spiritum. Satanas enim perniciosas sectas introduxerat, quæ sanctissimis Apostolorum laboribus impudenter ac nefarie sese opponebant. Multi nimirum larva Apostolica induti, & sine dubio *Simonis Magi* discipuli, aut *Cerinthi* affectæ, vel *Ebionæi*, *vid. infra §. X.* gratiam Dei in luxuriam transferebant. Erant τὰ ἐπίγεια φρονῶντες uti Paulus Phil. 3, 19. inquit. Legem cum Evangelio commiscebant, & per blanditias venenum suum Corinthiis reliquis insinuare, eosque in errores pertrahere conabantur. Erant, ut Lutherus loquitur, foris speciosi, intus pleni spurcicia. Habebant spiritum primipili sui Simonis, quem Petrus juxta Act. 8, 23. animadverterat, esse in felle amaritudinis & in vinculo injustitiæ. Hæc Satanæ mancipia conquirebant omnia, quæ facere poterant ad veros Apostolos contemptos suspectosque reddendos. *Cf. Luca Osiandri Hist. Eccl. Centur. I. Cap. IX.* Adducenda nunc etiam essent loca ex Doctoribus antiquæ Ecclesiæ, quæ statum hunc Corinthiorum illustrare possent, imprimis ex *Irenæo*, *Eusebio* atque *Epiphanio*, sed otium hic nobis fecit *Job. Fr. Buddeus in Ecclesia Apostolica Cap. V.* Uterque autem & felix & tristis status Ecclesiæ Corinth. satis declarat, necessarium fuisse, ut Paulus suam

suam integritatem testatam faceret, illis, ut constanter permanerent in fide semel suscepta, his, ut in pudorem darentur.

§. VII.

Tantum *in genere* de hoc dicto dixisse, pro instituti nostri ratione, sufficiat, ut constet, recte nos meditationi nostræ circa hanc Pauli apologiam præfixisse titulum: *de præcipuis Doctoris ecclesie qualitatibus*. Nunc *speciatim* scopus specialissimus quarumlibet locutionum declarandus est, ubi, quantum poterimus, ostendemus 1.) quænam actiones ad versariorum cuilibet Phrasi *occasionem* dederint. Quanti enim faciendum sit scrutinium occasionis in inveniendis & dijudicandis sensu Phrasium Apostolicarum, quin & Davidicarum &c. utiliter monstrat *Vir summe Rev. J. J. Rambachius in Institutionibus Hermenevtica s. L. II. c. II. §. 9. 2.)* investigabimus, quis sit cujuscunque locutionis *sensus ab auctore primario Spir. S. & secundo s. ministeriali intentus*, quem eruemus auxilio analyseos, parallelismi & reliquorum subsidiorum hermevticorum. Ipsa membra Textus arbitrario ordine se invicem excipiunt, ut nihil impediatur, quo minus alia serie poni potuissent, hoc tamen discrimine, ut primo loco ea virtutes collocentur, quæ in evitacione mali consistunt, vel ipsa vitia evitata, atque evitanda, in altera vero sectione ea deprehendantur, quæ Dei viro digna sunt, ut ea tractet atque exercent. Præterea hoc quoque notandum maxime emphaticum esse illud, quod ab initio ponitur, cum cetera tantummodo per Participia annectantur, & primo loco positam virtutem explicare atque definire videantur. Ita quidem: *Renunciamus occulto dedecori, dum non ambulamus in astucia, dum nos commendamus &c.*

§. VIII.

Primum ergo momentum, quod sese in dicto nostro offert, hoc est, ἀπειρώμεθα τὰ κρυπτά τῆς αἰσχρίας. *Abdicamus occulta turpitudinis*. Quærendum hic ante omnia est, quidnam Paulo *occasionem* dederit, hac potissimum formula sese defendendi. Pseudapostoli nimirum tantum ab externis pendebant, ex iisque Apostolatus sui dignitatem dijudicari volebant, Corinthios externa specie fallere sibi que nomen sanctitatis &

B

since-

sinceritatis parare studebant. Impendebant operam, ne tales haberentur, quales reapse erant. *Introrsum erant turpes, speciosi pelle decora,* ut *Horatii* verbis utar, & quadrabat in illos oratio illa, quam *idem Poëta* in *Epist. 16. Lib. 1.* hypocritis affingit:

pulchra Laverna (Dea sc. furum.)

*Da mihi fallere, da justum sanctumque videri,
Noctem peccatis & fraudibus objice nubem.*

Similes erant *ταῖσιν κερκισμένοις, sepulchris calce dealbatis,* & intus scatebant foetore immunditiæ. Nihilominus de Paulo, ejusque similibus Ecclesiæ Corinthiæ persuadere volebant, quod pietatem tantum simularent, & in præsentia sua quidem pulchre ac blande loquerentur, in corde tamen suo pessima foventes. Ne vero videamur hoc Pseudapostolis illius loci & ætatis tantum affinxisse absque fundamento, conferri meretur 2. Cor. 10. v. 2. ubi Paulus illos pungit, quod existimaverint, Paulum secundum carnem ambulasse. Ut igitur Apostolus & accusationem hanc refutaret, ingensque discrimen inter veros & falsos Apostolos ostenderet, hoc loco idem denuo dicere videtur, quod c. 2. v. 17. *Non sumus ut multi.* Quomocunque me velitis judicare, s. ab internis, s. ab externis, idem mihi erit. Cum autem secundum internas qualitates, internumque hominem cujuslibet pretium omnium maxime statuendum sit, audite, quid ego bona conscientia, *ὁ Θεὸς γὰρ ὁρᾷ, ὅτι οὐ ψέδομαι* 2. Cor. 11, 31. quid, inquam, de me, mihique similibus Apostolis prædicare possim. Ipsa Phrasis sic explicari debet. *ἀπειπαῖσαι* significat alias, *postulanti aliquid denegare.* Sic usurpat *Theophrastus Eresus* in *Characteribus morum, seu potius in decori & indecori characteribus* §. II. de importunitate, ubi scribit: *ὁ ἀκαιρὸς ἐστὶ πρόθυμος ἐπιμελεθῆναι, ἀ μὴ βούλεται τις γενέσθαι, αἰχλύνεται δὲ ἀπειπαῖσαι.* h. e. *Is est importunus, qui promptus curare ea, qua quis non quidem vult, recusare tamen veretur.* Illa significatio optime huc quadrat. Caro enim nostra importuna est, multaque postulat, quæ turpia. At nos debemus prompti esse in denegando. Hic semper recusare, renunciare atque repudium dare est optima verecundia, Illud autem, quod exuere veri Apostoli dicun-

dicuntur, est αἰσχύνη, turpitudine. Hæc est omne illud, quod ex peccati semine productum contra normam legis, rectæque conscientia admit- titur, ut inde deturpetur & abominabilis reddatur homo, ejusque digni- tas flaccescat. Sumitur autem *abstractive* pro eo, quod in actu aliquo turpe est, id, quod elegantissime patet ex Epist. Judæ v. 13. cum dici- tur ἐπαφρίζονται τὰς ἑαυτῶν αἰσχύναις. *Despiciunt suas turpitudines.* Ibi impii comparantur cum fluctibus maris, qui in vehementi sunt motu; motus autem ille denotat opera & inquietas cupiditates hominum. Deinde malitia operibus adhærens similis dicitur spumæ illi, qui jactatio- ne fluctuum producit & conspiciendus datur. Neque vero exter- nam saltem turpitudinem veri Apostoli vitare dicuntur; sed omnes quoque carnis cupiditates, diabolique opera, quæ dignitatem, seu florem hominis virulento rore inficiunt absorbentque. Hinc additur τὰ κρυπτά, sc. ἔργα. Non solum *occultatio* vitiorum hoc ipso removetur, sed ipsa quoque *occulta vitia.* Poterunt autem h. l. omnes carnis operationes, quæcunque in occulto ab hominibus fieri possunt, subintelligi. Cogita- tiones maxime in occulto sunt; accedunt deinde ea, quæ caute perpe- trantur, dum vel soli sumus, vel quacunque ratione noctem quasi ac nu- bem operibus objicimus, eaque obtegimus. Sic quando M. E. aperte quædam vetat secundum verbi divini ductum, tacite tamen, & quando velari potest, ipse illud admittit, occultæ turpitudinis hoc ipso reus fit. Item si hominibus quædam persuadet, quæ tamen tacite secum ridet, & minime pro veris agnoscit. Tota itaque Phrasis hoc exprimit. Ego atque omnes Christi Apostoli velum nequitia & integumenta dedecoris non desideramus, vivimus ita, ne nos pudeat inter homines vixisse, quo- rum aperta de nobis judicia non reformidamus. Non enim habemus communionem cum infructiferis operibus tenebrarum. Non occulte turpes sumus, sed statim nos retrahimus, ubi occasio turpitudinis datur. Non externam tantum sanctitatem sectamur, sed præcipue internam. Etiam si omnes homines celare possemus, nihil tamen turpe admittimus. In his itaque verbis loquitur bona Apostolorum Christi conscientia, & ostenditur, illos irreprehensibilitatem ita secutos esse, ut non solum nemo

iplos accusare criminis potuerit, sed ut ne quidem tacite conscientiam oneraverint turpiter factis.

§. IX.

Pergit Paulus in defensione sua justissima modestissimaque ad sequentem expressionem: *μη περιπατοῦντες ἐν πανουργία non ambulantes in vafrutie.* Denuo hic nobis *occafio*, Paulo ad ejusmodi locutionem suppeditata, monstranda est, quam ex 2. Cor. 12, 16. pernoscimus. Ibi adversariorum objectio per mimesin adducitur: *ἀλλ' ὑπάρχων πανούργος δέλω ὑμῶς ἔλαβον.* h. e. *sed (forsan) cum essem astutus, dolo vos cepi.* Sic sine dubio Pseudapostoli Corinthiorum animos a Paulo alienos reddere conati fuerant. Paulus autem d. l. statim respondet per quæstionem fortius negantem. Num aliquem vestrum expilavi tacito quodam modo, ut juste mihi imputare possitis, me vobis imposuisse, fucatisque verbis vos decepisse, ita quidem, ut præsens gratis Evangelium prædicarem, per alios vero, quos ad vos misi, vobis molestus essem. Ita sane vos non circumveni. Hic parallelus nosterque locus tam bene se invicem respiciunt, ut non videam, quid obstet, quo minus dicamus: illa ipsa verba, quæ c. 12. occurrunt, Pseudapostolorum fuisse, ad quæ Paulus nostro quoque in loco respondet contrarium de se asserendo. Ceterum ipsi potius Pseudapostoli erant *πανούργοι* a quibus Paulus sese distinguere necesse habebat. Paulus enim 2. Cor. 11, 3. declarat, se ex paterno affectu metuere, ne Corinthii simili *πανουργία*, qua Eva decepta fuit, a simplicitate, quæ est in Christo, abducerentur. Ut vero sensum ipsorum verborum eruamus, vox *περιπατεῖν* proprie de ejusmodi ambulatione accipitur, quando quis non recta incedit, sed per anfractus, & quasi in circuitu. Hoc ipsum optime quadrat ad *πανούργους*, quoniam eorum est flectere & flexuosas facere vias suas, neque plano rectoque itinere procedere. Ipsa autem *πανουργία* h. l. notat indefessam operam & studium animi malitiosi, quo omnis quasi movetur lapis, nullique parcitur labori ad alios in fraudem trahendos & ad quærendum lucrum suum. Vel ut *V. Strigelius* loquitur in *Hypomnematis* super locum nostrum: *Astutia est veteratoria calliditas & vulpina sapientia.* Ubi simul *Demosthenis* descriptio ita se habens

habens adducitur: *sapientia sine justitia est πανουργία* Clarius adhuc id explicat *Platonis Epitaphium*, quod *Cbytraeus in explicatione Syracidis c. 19. v. 19. adducit: πᾶσα ἐπισήμη χρεζομένη δικαιοσύνης, καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς πανουργία, ἐν σοφίᾳ φαίνεται. Omnis scientia destituta justitia & reliqua virtute videtur esse astutia, non sapientia.* Quanquam etiam *πανουργία in bono sensu pro calliditate prudenti usurpatur, sicuti LXX. Interpretes phrasin illam Salomoneam Prov. 12, 16. ערום קלן ערום. tegit ignominiam callidus, recte verterunt, κρύπτει τὴν ἑαυτοῦ ἀτιμίαν πανουργος h. e. Qui prudenter agit & callidus est, non statim, simul ac laesus est, prorumpit in convivia, sed dissimulat injuriam sibi allatam. Cf. Thoma Cartwrighti Comment. in Prov. Sal. Sæpissime tamen abusum sapientix denotat, ut I. Cor. 3, 19. Comprehendit Deus sapientes in astutia ipsorum.* Et tota Phrasin nostra eo respicit, ut significet, verbis suis multos colores admiscere, & in ipso facto variis & fraudulentis circuitibus uti, semper aliquid reservando, & simul inhiare occasione, qua alter decipi possit. Spectat autem hoc, & relegandum est ad filios tenebrarum, qui magno conatu, & multis anfractibus sæpe utuntur, ne opprimantur ipsorum machinationes periculosa. Hi retia in occulto ponunt, ne impediatur in suis capturis. Occupati sunt variis strategematibus, & de illis hoc inprimis asserendum, quod existiment *πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν* I. Tim. 6, 5. At ejusmodi technis uti ad decipiendum simpliciores, non patiebatur integritas & sinceritas Apostolorum. Eorum enim intentio optima erat nulli nocendi, potius omnibus prodesse, sibi que minime lucrum acquirere studebant, & ex amore Christi & veritatis omnia perpeti parati erant. Neque opus habebant fraudibus propter Evangelicæ veritatis, quam prædicabant, puritatem & perfectionem. Quo simplicius ea proponitur & quo magis patescit, eo clarius splendescit & gloriosa est, hominibusque utilis. Vastitatem itaque a se amoluntur Apostoli, tam pura conscientia freti, ut certi essent, ne suspicionem quidem hujus vitii de se movendam esse. Ipse successus & exitus doctrinæ, vitæque Apostolicæ hoc etiam testabatur. Omnes ab illis docti se non deceptos esse satis experiri poterant. Quantum boni inde a

doctrina eorum in se redundaverit, cuilibet recte judicanti notum erat. Utile itaque erat hoc Corinthiis in memoriam revocare, ut perpenderent, quanta sit dignitas & auctoritas sanæ doctrinæ, & quanti habendus sit Evangelii Minister fideliter docens.

§. X.

Pergimus *ad tertium apologiæ momentum*, quod hoc est *μηδὲ δο-
λοῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ neque falsantes verbum Dei*. Hactenus de oc-
casionem semper solliciti fuimus, quæ Apostolo ad quælibet verba submi-
nistrata fuit, in eaque rimanda duo annotavimus, primum, quod Pseud-
apostoli veris Apostolis multa nefaria imputaverint, deinde quod ipsi po-
tius eo nomine accusandi, & a veris discernendi fuerint. Unde ipso-
rum duplex crimen patet, cum non tantum ipsi peccatis infecti fuerint,
sed eadem quoque peccata in alios & quidem innoxios transfulerint.
Sic enim est mos impiorum, ut sua vitia, quibus ipsi sciant, bonis & ju-
stis affricent atque imputent. Id ipsum occasione hujus phræsis de-
nuo observandum est. Primo enim Pseudapostoli ἐργάται δόλιοι erant,
subdoli operarii 2. Cor. 11, 13. adeoque in illis deprehendendum hoc erat,
quod minime fideles essent, sed simulant & jactarent saltem pium ze-
lum, piamque ac veram doctrinam, cum tamen sua tantummodo quæ-
rerent commoda *ἀναρχοῦ κέρδους χάριν* Tit. 1, 11. & ecclesiam falsa do-
ctrina pravisque exemplis inficerent, & corrumpent multo aconita
temperantes. Probabile est illos Corinthi Pseudapostolos infelicem or-
tum suum ex parte etiam traxisse *ab Elyma illo mago, Pseudapostolo & bo-
mine Judeo*, a quo didicerunt Judaïsmum & Christianismum syncretistico
more miscere. Ille enim homo in tractu istius regionis sc. insula *Sala-
mine* facile etiam Corinthios potuit inficere. De eo autem Paulus di-
cit Act. 13, 10. *ὃ πλήρης παντὸς δόλου καὶ πᾶσης ἐαδίουργίας, ο plene omni
dolo & omni fallacia, non cessabis pervertere vias Domini rectas?* Hu-
jus magistri sui spiritum & mentem forsan etiam illi impostores, quos
Paulus h. l. pungit, habuerunt, ut diabolus eos subornaverit ad impedi-
endum multa salutaria, & ad seducendos homines falsis interpretationi-
bus & corruptelis verbi divini. Deinde tamen nihilominus id ipsum Apo-
Apo-

Apostolis Christi imputabant, ut miseros mortales a vera via ad pietatem & salutem eo facilius averterent. His enim fallaciis utebantur, ut non tantum Corinthiis persuaderent Paulum longe postponendum esse τοῖς ὑπὲρ λίαν ἀποστόλοις, eximiis Apostolis Petro sc. Jacobo atque Johanni; sed etiam omnem gloriam Apostolorum Christi & Pauli inprimis infringere laborarent. His itaque Paulus opponit hoc: Neque fuimus, neque sumus δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ *dolo tractantes verbum Dei*. In genere notandum, quod *Strigelius in Hypomnem.* observat, dolum esse scelus, ad quod concurrunt mens sciens, quid sit agendum, & voluntas libere contra rectum iudicium faciens. Ex habitu ipsum actum, ad Dei verbum applicatum, possumus pernoscere. Exprimitur ille per δολῶ *adultero, vitio, depravo*, quod generalius adhuc est, ac illud, quod 2. Cor. 2, 17. occurrit, ubi falsi Apostoli dicuntur καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. *Cauponantes verbum Dei*. Hoc tantum de mercibus fucosis & fallacibus it. de vino, alioque potu & liquore corrupto & depravato occurrit, uti ex *Hesychio & Suida* patet. Illud a. nostrum præter has significationes etiam hunc usum habet, ut de monetarum depravatione etiam usurpetur. Ita νόμισμα δεδολωμένον est *moneta adulterina*, & δολῶν significat tunc *falsum as immiscere*, vel idem est ac παραχαράττειν. nachprägen. Per hanc ergo phrasin removetur ab Apostolis abusus verbi divini, inprimis is, qui proprium commodum spectat. Talis abusus fuisset, si Paulus Dei verbum non genuinum docuisset, sed de suo multa addidisset propria auctoritate absque jussu divino; si blanditus fuisset Corinthiis, & scorias pro auro illis vendidisset absque sinceritate, sicque sanam doctrinam erroribus & fucis vitiaisset. Cui autem magis, quam mercatoribus fallacibus, similes sunt, qui verbum Dei depravant, suaque somnia & perniciosas futilesque doctrinas pro verbo Dei venditant? Sed hæc omnia sese abominari, semperque vitasse dicit Apostolus, simulque de reliquis sui similibus affirmat: se non esse tales, qui doctrinam verbi adulteratam, humanique ingenii commentis & præjudicatis opinionibus, inveteratisque erroribus mixtam, speciosis vero rationibus fucatam & ad sordidum quæstum comparatam tradant. Christi Apo-
stolis

solis potius ἀδόλια & sinceritas tribuenda erat. Diese hatten reinen Wein eingeschenkt, & sicuti Petrus sibi adscribit, 1. Pet. 2, 2. τὸ λογικὸν ἀδόλον γάλα propinaverant: lac scilicet sincerum seu purum & salubre citra omnem veneni fraudem, quippe quod lac non patitur. Erat enim hoc Apostolorum Christi, Magistri sui exemplum imitari, de quo Petrus in eodem cap. v. 22. dicit: οὐδὲ εὐρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ. *neque inventus est dolus in ore ipsius.*

§. XI.

Posteaquam Paulus ea proposuit, quæ ipse cum Sylvano atque Timotheo vitaverit ad integritatem officii sui conservandam, recitat nunc ea, quæ secundum conscientiam & secundum officii sui partes fecerint. *Quatuor adhuc membra extantiora supersunt, quæ peculiariter etiam percensebimus. Primum ergo cui se studuisse dicit, est manifestatio veritatis ἀλλὰ τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας.* Indicatque medium, quo se commendatos reddiderint cum illo Christi Apostoli, simul etiam germanam proponit notam, qua veri a falsis Doctoribus dignosci queant. Pseudapostoli perditii illi erant mortales, in quibus Evangelium erat κεκαλυμμένον obrectum, ut v. 3. c. 2. nostræ Epistolæ dicitur, neque adeo veritas illis affulserat, aut cordi erat; Paulum tamen criminati fuerant, ejus sermones esse ἐξουθενήμενους 2. Cor. 10, 10. h. e. contemptibiles, habebant ipsum ἰδιώτην τῷ λόγῳ imperitum in sermone, uti colligere licet ex 2. Cor. 11, 6. dixerant: *Paulum se tantum ad applausum vulgi accommodasse, & molliter Corinthios tractavisse.* At utrumque falsum erat. Non erat idiota in scientia, neque secundum carnem militabat. Et poterat, & volebat veritatem revelare. Recte ergo in sui defensione se veritatem non deseruisse asserit. Per φανέρωσιν talis declaratio & patefactio intelligenda est, ubi nihil celatur, quod ad rem penitus perspiciendam pertinet. Sic manifestatur *vel rei existentia τὸ ὄτι*, ejusque præsentia, uti usurpatur a Paulo 1. Cor. 12, 7. ibi φανέρωσις τοῦ πνεύματος data esse dicitur, h. e. *Datum est cuilibet, ut ostendere ac declarare possit dona spiritus in se esse præsentia: vel declaratur τὸ τί* five quid res sit, & significat rem aliquam obviam sic proponere, ut clare atque distincte

cte

cte & absque ambiguitate, aut metu deceptionis cognoscatur. Præterea manifestatio h. l. simul indicat *objecti sublimitatem*. Non enim nota recensuerat, aut rationi obvia. Sic enim facile supervacaneum fuisset Pauli ministerium, aut certe exigua æstimationis & pretii. Sed ex Spiritus dono omnia depromserat. Viæ Dei, quibus homini salvando eundem est, ignorantur ab eo. Salutis fundamenta ac media, occulta Satanæ impedimenta &c. talia sunt, ad quæ patefacienda opus est revelatione immediate aut mediate a Deo facta. Vox *ad idesca*, quæ *alias pro actu* illo sumitur, quo quis omnia ex suis veris principiis recte deducit, idque quod sentit, etiam conceptibus suis convenienter proloquitur, hoc loco accipitur *pro materia, vel pro re actu* illo producta. Neque vero hic *veritates* vulgares, aut eruditæ, sed *Theologica* intelliguntur, suntque talis doctrinæ, quæ a Dei Spiritu immediate vel mediate haustæ, & de Deo & Christo ejusque voluntate ad homines agentes secundum analogiam fidei proponuntur. Tota ergo phrasi Paulus indicare vult, se non celasse aliquid de necessaria doctrina fidei morumque, neque honori divino se aliquid detraxisse. Veritatem se in corde atque ore habuisse, quæ Spiritus Dei in se excitaverit, ea se etiam fideliter tradidisse, ut verba conspirarent cum interna convictione, cum rei natura, & analogia fidei atque scripturæ. Conveniunt ergo hæc cum iis, quæ Paulus Mileti convocatis Ephesiis valedicturus ostenderat, sec. Act. 20, 27. *Ibi inquit se nihil ignavia, aut negligentia prætermisisset, aut subterfugisset, quo minus annuntiaret omne consilium Dei, eaque, quæ ad salutem eorum pertinerent.* Illo pariter ac nostro in loco asseverat, se nihil dissimulasse, quod ad religionis Christianæ perfectionem pertineret. Excluditur ergo ac removetur omnis ignavia in scrutando, infidelitas in revelando & præcipiendo, insufficientia in instruendo ac imprudentia in applicando verbo divino. Merito sibi hoc Paulus non derogat, quod egerit bonum viæ ducem, bonum œconomum, & magistrum, qui nihil celat discipulum, quod ad perfectionem artis pertineat. Provocat quasi ad ipsorum Corinthiorum testimonium, qui

nunquam viderint, quod aliquid reticuerit, & metu vel spe seductus reliquerit justam rectamque viam. Ipsos nosse, quod veritatem coelestem puram & simplicem proposuerit, atque omne velamen removerit, neque veluti Moyses faciem suam revelaverit, uti c. 3. inquit.

§. XII.

Ad conservandam bonam famam justamque æstimationem Paulus nunc Corinthiis in mentem vocat *commendationem* suam, συνισῶντες ἑαυτοῖς *nos ipsos commendantes*. Scilicet pessimi illi momi Pseudapostoli duplici ratione *ansam* præbuerunt, ut hujus rei recordaretur. Nam α) pessimis artibus seipso commendabant, qualem commendationem Apostoli veri avertabant, qui etiam propterea, ut ex 2. Cor. II, 12. patet, inter illos reputari nobelant: *non audemus, inquit, nos inserere, aut comparare quibusdam, qui seipso commendant*. β) Veris etiam Apostolis nullam gloriam relinquebant, sed de ea detrahebant, suos tantum labores admirantes, seque solos magnos prædicantes. Adeo erant cæco amore sui inflati, ut nullos in se novos cognoscerent, aliisque persuadere non erubescerent, se tales esse, quales ipsi sibi videbantur. Ut igitur verum a ficto dignosci posset, ostenditur h. l. quod ipsa detectio veritatis tutissimum medium verorum Christi Apostolorum fuerit seipso commendandi, aliisque probandi. Vox συνισάμεν & ἑαυτοῖς nihil aliud notat, quam amorem & æstimum aliorum sibi conciliare, quocumque modo id fiat. Ita vel de ipsa *adulatione* etiam a Græco illo doctissimo *Plutarcho* hoc vocabulum usurpatur in elegantissimo loco, qui in *discrimine amici & adulatoris* occurrit, cujus statim versionem suppeditabo: *Adulator sedulo condendit studiosissimus semper videri, impiger atque ad omnia promptus, quoniam vero id, quod maxime amicitie initium constringit & συνισάμεν COMMENDAT, similitudo est studiorum & morum, ubi quis iisdem rebus gaudet, eadem fugit; ante omnia in eadem fertur, atque in iisdem se constituit per similem passionem*. At Apostolorum commendatio vera erat. Et uti secundum *Plutarchum* τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν, ἐπὶ τοῖς σοφοῖς ἀπαρέσκειν, *multis placere, sapientibus est displicere*; ita illi quoque

que tantum piis ac sapientibus probari querebant, non curantes iniqua hominum finistre de se judicantium judicia. Etiam si ejusmodi maleferiati homines ex livore & odio multa ad minuendam Apostolorum Christi famam quotidie excogitarent, hoc tamen illis verendum non erat. *Est enim, vel Seneca judice, dementia, vereri, ne diffameris ab infamibus.* Neque etiam finis primarius predicacionis ipsorum fuerat se commendare, sed saltem maxime secundarius. Omnia potissimum in Dei honorem vergere debebant. Juxta illum proinde demum etiam Apostoli desiderabant honorati esse & omnibus piis cari, quo ipso honoratur Dei verbum, & doctrina propagatur felicius; vitæque sanctitas crescit. Hoc ut acquirerent, datum erat iis singulari sapientia, divina virtute, facili opera, attrahente vi, & convincenti perspicuitate doctrinam coelestem tradere; datum iis etiam erat declarare promptitudinem pronamque voluntatem omnium spiritualem salutem promovendi.

§. XIII.

Laudatum sese commendandi studium in Apostolis fuisse nunc ulterius declaratur sequentibus, *πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων. Ad omnem conscientiam hominum.* Pseudapostoli non relinquebant Corinthiis, ut ipsi *δογμασίων* instituerent eorum, quæ ab ipsis proficiscebantur, sed affectibus cæcis illos trahere & ad se allicere semper querebant. Cavebant, ne scrupulosi redderentur Corinthii, sed securitatis sommo illos oblopiare laborabant. At longe aliter Christi Apostoli. Illi urgebant justam & assiduam inquisitionem & accuratum examen secundum normam rectæ conscientiæ. Quæritur h. l. an vocabulum *πρὸς normam*, an vero *objectum* cui commendationis designare debeat. Et sane utrumque h. l. connotare videtur. *Norma* actionum est alias cujuslibet propria conscientia. At peculiari quodam modo Ministri verbi divini, in quos totus grex conspicit, *aliorum* quoque rectam conscientiam, tanquam normam actionum suarum intueri debent. Hinc recte nobis videmur asserere, quod normative hæc propositio sumatur;

sed nihil tamen minus etiam *objective* accipienda est. Ipsa enim *conscientia* est, quæ delectatur, quando iusta, pia, & sobria fiunt, veraque narrantur ac docentur. Cum vero *συνείδησις conscientia* sit principium normativum internum divinitus insitum, quod ad normam veritatis legisque divinæ sermones & actiones tum suas, tum aliorum ita dijudicat, ut de iis conveniens testimonium formet, patet inde, cur Paulus dicat secundum *πάντων, omnem conscientiam*, non omnium hominum. Nimirum ut eo magis suam irreprehensibilitatem assereret, si ostenderet, quamlibet accuratissimam & subtilissimam conscientiam ad omnes partes verbi & facti attendentem nihil esse inventuram, quod Apostolos Christi sua commendatione privare possit. Sensus ergo hic est; non tantum iis, qui aliqua saltem ratione rem inquirunt, & qualicumque convenientia cum norma verbi divini fidei & vitæ contenti sunt; sed ne rigida quidem & minima etiam ad amussim verbi perquirenti conscientia occasionem scandali sese præbere. Indicatur simul, Apostolos non modo cuilibet relinquere, ut suam doctrinam & vitam pariter testantem de veritate & præstantia religionis Christianæ accurate examinet, sed id ipsum etiam illos velle, ut fiat. Non eorum approbationem quærebant, qui secundum affectus iudicant, sed eorum potius, qui probant omnia secundum conscientiam.

§. XIV.

Tandem cum fons omnis impietatis ac præcipuum sustentaculum malitiæ sit oblivisci, quod Deus sit intra & extra nos præsentissimus, facile est iudicare in Pseudapostolis hoc ipsum deprehensum fuisse. Quo minus itaque oculos Dei omniscios venerabantur, eo magis cœcutiebant, & *ὁδηγοὶ τυφλῶν* erant. Ruebant quocumque impetus suus illos rapiebat. Inde ab iis se & veros Apostolos distinguendos putat Paulus. Illi tantum hominibus placere studebant, hi autem omniscientiam & omnipræsentiam Dei ob oculos habebant, quod per *ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ coram Deo* exprimitur, atque idem est, quod in V. T. *את האל הים cum Deo*. Quam virtutem cum Psal. 139. vivo Davidis

vidis exemplo fistat, jucunde hic conferri poterit. Christi Apostoli semper tanquam in monte Sinai versantes & audientes Dei sonitum, videntesque fumum & ignem, vel cum Elia in sibilo auræ tenuis Dei sui præsentiam venerati erant, & sic ambulaverant potissimum apud Corinthios & verbo & opere, ut Deus non læderetur, sed vias eorum potius approbaret.

§. XV.

Sic speramus explicationi dicti nostri aliquo modo satisfactum fuisse, nunc ad *applicationem* ejus pergendum esset, nisi nimis arcto spatio adstricti essemus. Dum autem aliquo saltem modo illud præstare cogito, eorum recordor, quæ J. C. Zieglerus in *Hodegetico Pastoralis* ad instruendum Pastorem munus sacrum ingredientem elegantissime proposuit. *Cap. II. Tb. 2. n. 16.* ubi utilissimum esse dicit, si sub accessum officii sacri nobis ipsis certas vitæ regulas præscribamus, quales e. g. sunt: *Ego sum constitutus vigil, ergo non ero ignavus, aut dormiens socius. It. Ego sum Christi minister, ergo ministrabo, ut fidus inveniar.* & qv. f. r. Ad ejus imitationem possent etiam, occasione hujus dicti, sequentes regulæ pro M. E. formari, ut statim ab initio sui officii easdem sibi imprimat atque proponat.

Reg. I. Ego præero officio, ad quod præcipua sanctitas tum interna, tum externa requiritur. Ergo *renunciabo* omni *occulto* etiam *dedecori*, nullisque nequitia integumentis nitar, sicuti Christi Apostoli fecerunt, uti ex eo patet, quod Paulus dicit: *ἀπειπάμεθα τὰ κρυπτά τῆς αἰσχύνης.*

Reg. II. Sapientissima doctrina eaque perfectissima Dei integerrimi ac simplicissimi tractanda erit mihi in munere, quod me etiam sufficienter alet. Ergo *nulla astutia utar*, neque fraudulentæ calliditati studebo, ex illo: *μη περιπατοῦντες ἐν πανουργίᾳ.*

Reg. III. *Verbum Dei* non est meum verbum. Ergo *secundum Dei ipsius sensum atque intentionem* illud tractabo ad veram quietem & salutem hominum: *μηδὲ δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ.*

Reg. IV. Servio Deo veracissimo & tali, in quo non est *προσωποληψία.*

Ergo *veritatem semper tuebor*, vel periculo aut martyrio confirmandam, nullaque spe lucri, aut metu periculi ab ea dimovebor. τῆ φανερώσει τῆς ἀληθείας.

Reg. V. Auctoritas vel gravitas M. E. mixta charitate & mansuetudine multum facit ad ædificationem & obedientiam excitat in grege sacro. Ergo *semper amorem ac favorem coetus mei conservare studebo*, meque commendabilem, venerabilem ac gravem reddam, συνισῶντες ἑαυτούς.

Reg. VI. Mihi nullum imperium est in conscientias, sed cuilibet non tantum libertas relicta, verum etiam necessitas injuncta est, secundum rectam conscientiam omnia probandi & bonum retinendi. Ergo ita docebo *meque talem prestabo*, ut nunquam ab aliis reprehendi, sed *semper approbari possim*. πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων.

Reg. VII. Nullibi me a facie Dei judicis universi abscondere possum. Ergo *in omni angulo Deum verebor, amabo, ipsique confidam*. Ambulabo ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. de quo *conf. Josephi Halli Henochismum de modo ambulandi cum Deo.*

§. XVI.

Satis certi sumus, VIR PLVRIMVM REVERENDE, Te totis viribus conaturum esse, ut non solum homines ministerium Tuum magni faciant & colant, sed ut Deo quoque omnia facta Tua semper probentur. Iis etiam per Dei gratiam & natura, & diuturna diligentia donis es instructus, ut optare possemus, nos omnes Tibi pares esse. Quæ itaque hoc loco scripsimus, tantummodo ad implendas officii nostri partes, non Te docendi causa scripta sunt. Nihil itaque restat, quam ut Tibi felicem ingressum in munus sacrum, feliciorum progressum, & felicissimum exitum apprecemur. Uti omnes illas Apostolicas virtutes, quas ex dicto nostro hausimus, Tibi ex animo optamus, ita conjunctim easdem comprehensas in *corona*, loco coronidis, Tibi offerimus. Est illa קִרְבַּן קִרְבַּן צִיץ קִרְבַּן lamina *corona sanctitatis*, quæ ornamentum frontale erat summi sacerdotis

dotis V. T. & ab una aure ad alteram vitta hyacinthina ipsi alligabatur. Hanc Tibi in manu sancti Spiritus ostendimus certo inde consequendam. Notatu dignum est, quod in illa sculptæ fuerint literæ יהוה קדש ליהוה quod quæstionem meretur, quid Deus hac inscriptione: *Sanctitas Domini*, significare voluerit. Mysterio plenam rem esse & typi simul rationem habere in dubium vocari nequit. In genere tamen hoc notamus ex *Braunio de vestitu Sacerdotum Ebraeorum Cap. 22.*: Aaronem pro imagine, id quod gentilium sacerdotibus in usu fuit, ut *Jovis, Junonis, Minervæ aliorumque Deastrorum* effigies in coronis haberent, pro tali, inquam, *imagine nomen Jehovah gessisse*, ut constaret eum *vivi Dei sacerdotem esse*. Hoc ipso totum munus summi sacerdotis sanctificabatur, quod quidem non ex interna literarum vi dependebat, sed ex ipsa Sanctitate Dei. Hanc laboribus & imprimis sacrificiis sacerdotis interesse, omniaque purgare atque expiare his verbis significabatur. Simul tamen hæc inscriptio tum sacerdoti, qui hoc insigni ornatus erat, tum Israelitis hoc signum cernentibus in mentem vocare debebant memoriam summæ Sanctitatis Divinæ, ut adeo in toto cultu suo eo magis sanctitati studerent, & non solum frontem, verum etiam totum cor sanctificatione nominis divini implerent. Si itaque piis votis indulgere licet, optamus, VIR PLVRIMVM REVERENDE, ut a Tuis auditoribus semper corona ejusmodi, ex qua Sanctitas Jehovah radiet, ornatus atque indutus conspiciaris. Quid enim melius Ecclesiæ Minister præ se ferre, qua re splendidius ornari potest, quam ejusmodi insigni? Ipsa autem hæc Dei Sanctitas Te totum penetret, Tuisque semper adsit laboribus, ut sint in Domino sanctificati fructusque insignes in Dei domo producant. Ipsa hæc Dei Sanctitas sit decus animarum, quæ Tuæ fidei ac vigilantia commissa sunt, ut illud gerere gestiant, ament, custodiant & unice admirentur atque vereantur. Cingat hæc aurea corona non solum caput aut frontem Tuam, verum etiam totum corpus Christi mysticum, nempe evocatum Dei coetum, Deique gratia fiat, ut ministerio Tuo, VIR PLVRIMVM REVERENDE, innumera ecclesiæ membra æternæ gloriæ corona digna reddantur.

Mem-

Membra Collegii nostri, qui hæc Tibi, V. Pl. R. omni pietatis affectu apprecantur, hoc tempore sunt.

M. EPHRAIM GOTTHELFF KOECHLY, *Past. Loschbu. & Wachbu.*

M. CHRISTOPHORVS KRETZSCHMARVS, *Mega-Dittm. Rector Scholæ Novæ ad Dresdam urbis.*

M. CHRISTIANVS KAESTNERVS, *Hermannsd. Misn.*

JOHANNES JACOBVS GRAEVIUS, *Ebersd. Misn.*

THEODORVS URBANVS SEYFERT, *Schneebergensis Misn.*


RVDOLPHVS FRIDERICVS de WICHMANNSHAUSEN, *s. R. I. & Misnia Eques.*


M. JOANNES GODOFREDVS RVDOLPHVS, *Roeckniz. Saxo.*


M. CHRISTOPHORVS GOTTLOB GRVNDIG, *Dorffbayn. Misn.*


IMMANVEL BENIAMIN KEMPE, *Wolckenst. Misn.*

















dicuntur, est αἰσχύνη, turpitudine. Hæ
semine productum contra normam
titur, ut inde deturpetur & abominabi-
tas flaccescat. Sumitur autem abstr-
turpe est, id, quod elegantissime pat-
tur ἐπαφρίζονται τὰς ἐαυτῶν αἰσχύναις. D
impii comparantur cum fluctibus ma-
motus autem ille denotat opera &
Deinde malitia operibus adhærens sim-
ne fluctuum producit & conspicie-
nam saltem turpitudinem veri Apol-
quoque carnis cupiditates, diabolique
hominis virulento rore inficiunt abs-
sc. ἔργα. Non solum occultatio vitio-
quoque *occulta vitia*. Poterunt au-
quæcunque in occulto ab hominibus
tiones maxime in occulto sunt; acci-
trantur, dum vel soli sumus, vel quæ-
bem operibus objicimus, eaque ob-
quædam vetat secundum verbi divini
velari potest, ipse illud admittit, occi-
Item si hominibus quædam persuad-
& minime pro veris agnoscit. Tot
atque omnes Christi Apostoli velum
non desideramus, vivimus ita, ne no-
rum aperta de nobis judicia non re-
communionem cum infructiferis op-
turpes sumus, sed statim nos retrahit.
Non externam tantum sanctitatem.
Etiam si omnes homines celare posse-
In his itaque verbis loquitur bona A-
ostenditur, illos irreprehensibilitatem

II
illud, quod ex peccati
ue conscientia admit-
homo, ejusque digni-
o, quod in actu aliquo
Judæ v. 13. cum dici-
as turpitudines. Ibi
vehementi sunt motu;
cupiditates hominum.
puma illi, qui jactatio-
Neque vero exter-
licuntur; sed omnes
dignitatem, seu florem
hinc additur τὰ κρυπτά,
so removetur, sed ipsa
nes carnis operationes,
t, subintelligi. Cogita-
e ea, quæ caute perpe-
ne noctem quasi ac nu-
c quando M. E. aperte
cite tamen, & quando
dinis hoc ipso reus fit.
nen tacite secum ridet,
his hoc exprimit. Ego
integumenta dedecoris
r homines vixisse, quo-
Non enim habemus
rarum. Non occulte
asio turpitudinis datur.
ad præcipue internam.
men turpe admittimus.
Christi conscientia, &
sse, ut non solum nemo
iplos

